



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 17. Episcopi Vasatensis responsum ad Regis orationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

Sabaudia Ducis ad alendos suos Ordines Ecclesiae reditus impenderent. Denique suum responsum absolvit, ista profitendo: ego homo sum, ac minime ignoro, quod de mea administratione Deo rationem reddere teneam, aut multum in Dei misericordia confido.

§. XVII.

Episcopi Vafatensis responsum ad Regis orationem.

Attes l. c.
p 9.

Verum mox Vafatensis Episcopus hæc Regi reposuit: „equidem haud diffiteor, quod morum corruptio in Gallis inter Ecclesiasticos multum invaluerit, non tamen ea toti Corpori imputanda venit: universus enim Ordo suorum membrorum emendationem deposcit, nihilque magis, nisi perversa illa molimina, quæ regiam suam Majestatem a prona voluntate, piisque consiliis præpediunt, Clerus Gallicanus abhorret, nec propositum colloquium cum Curia Senatoribus circa Synodi Tridentinae promulgationem rejicit: de cetero electiones regno adeo necessariae videntur, ut haud obscure observatum sit, quod nunquam stirpis regiae propagatio desierit, nisi postquam Reges nominationem ad beneficicia usurpaverant: eapropter Carolus Magnus, cum eam rem experimento

„edo-

„doctus fuisset, Ecclesiis, & Monaste-
 „riis electionum jus reddebat, ut
 „hac ratione Dei vindictam placaret,
 „imo eodem ex capite Hugo Capetus
 „sancti Germani Abbatiam, aliasque,
 „quas sibi metipso attribuerat, dimisit,
 „nec minus sanctus Ludovicus ad bene-
 „ficia nominare abhorruit, ut mala, quæ
 „sibi impendere noverat, evitaret: por-
 „ro Franciæ Episcopi suas Ecclesias ite-
 „rum abdicare, paratissimi sunt, ea ta-
 „men lege, ut digniores, quam hucus-
 „que factum, illis præficiantur (*). De-
 „nique Clerus omnino ratum habet E-
 „questrem Ordinem a Rege institutum,
 „perdemisse tamen suam Majestatem
 „rogat, quatenus perpendere velit, quod
 „Ecclesiæ patrimonium ad ditandos lai-
 „cos non fuerit destinatum, nec tamen
 „propterea Ecclesiasticus Ordo cum Re-
 „ge contendere intendit, sed unice suæ
 „conscientiæ satisfacere, ac status sui
 „præcepta adimplere satagit: Deus enim
 „inter Episcopos, & Principes idem erit
 „Judex.,,

§. XVIII.

(*) Hæc subjunxit hic Episcopus, eo quod
 Rex ex Episcopis præsentibus quosdam Re-
 gis beneficio ad Episcopales Sedes fuisse no-
 minatos objecisset his verbis: *num si penes
 Collegia electionis jus fuisset, vos Episcopi electi
 fuissetis.*

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

Ll

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.